



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

3. Ex. devotionis &c. Bulla quâ, postulante Episcopo Gebennense,
Quæstores Gebennense, Quæstiones nominat qui ejus Diœcesin
inspiciant,, reditusque annuos percipiant, cùm suprâ dictus Episcopus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1306.

Regio favore dirigeres, & foveres, ad ipsa negotia prospere prosequenda; super quo te promptum & benevolum, liberalitate Regia obtulisti.

Verum cum sicut nuper ex ipsorum Nuntiorum insinuatione percepimus, officiales, vel Gentes Regii eosdem Nuncios in exequendis aliquibus, quæ ipsis fuere commissa, & præsertim in percipiendis fructibus, Prioratus de Mortona, prope London. nunc vacantis, præter tuam, ut creditur, conscientiam impediant, ut perturbent, pro eorum libito voluntatis, Celsitudinem Regiam iterato rogamus & hortamur attente, quatinus efficaciter provideas, & liberaliter facias, ut impedimenta tollantur hujusmodi, & talia vel similia de cætero non contingant. Favorem Regium exhibendo prælibatis nuntiis, & habendo eos in his, & in aliis per te, ac tuos, cum opus fuerit & ad te, ac ipsos recursum habuerint, taliter commendatos, quod spes de tuis obtenta virtutibus, continuata operum perceptione concresecat, nosque magnificentiam tuam dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Burdegalis 6. Calendas Septembris Pontificatus nostri anno primo.

III.
Ex Archiv.
Reipubl.
Genev.

Bulla quâ, postulante Episcopo Gebennense, Quæstiores nominat qui ejus Diocesim inspiciant, reditusque annuos percipiant, cum supra dictus Episcopus ipsemet propter bellum percipere nequeat: anno 1306.

CLEMENS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilectis Filiis . . .
Priori sancti Johannis & Can-
tori Gebennensi, ac Præposito
Montisionis Sedunensis diocesis Ecclesia-
rum salutem & Apostolicam benedictionem.*

EX devotionis Venerabilis Fratris nostri A. Episcopi Gebennensis provenit meritis, ut illa libenter cum gratia foveamus, quæ suis necessitatibus esse dignoscitur opportuna. Sane petitio ipsius Episcopi nobis exhibita continebat, quod ipse propter guerrarum discrimina quæ in sua diocesi invalescunt, eandem non audeat diocesim personaliter visitare, quodque ipse hujusmodi occasione guerrarum magnam partem reddituum suorum amisit, & insuper ad defensionem jurium Ecclesiæ suæ Gebennensis sollicitè & ferventer intendens, pro defensione jurium eorundem quoddam castrum ædificare incepit, opere plurimum sumptuosum, quod consummare non potest, nisi nostro ei super hoc auxilio succurratur.

Nos itaque eidem Episcopo super hoc paterno compatientes affectu, & volentes ei in hac parte utiliter subvenire, ejus supplicationibus inclinati, sibi quod Ecclesias monasteria, & ecclesiastica loca suæ civitatis & diocesis, & personas eorum, per aliquem discretum virum quem ad hoc duxerit assumendum, quotiens tempus visitationis ingruerit usque ad triennium visitare, ac procuraciones ratione visitationis hujusmodi sibi debitas ab ecclesiis monasteriis, locis & personis prædictis taliter visitatis valeat recipere moderatas in pecunia numerata, qualibet constitutione contraria non obstantes, auctoritate litterarum nostrarum duximus indulgendum.

Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios facia-

tis auctoritate nostra juxta hujusmodi concessio- nis nostræ tenorem, illum quem idem Episcopus ad hujusmodi visitationis officium duxerit, ut præmittitur, deputandum, ad illud admitti sibi que procuraciones prædictas per idem triennium integrè exhiberi.

Non obstantibus constitutione hujusmodi, seu si aliquibus à sede Apostolica sit indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum Lugduni, Id. Januar. Pontificatus nostri anno primo.

Dinus G.

Anglorum Regi pro Captione Templariorum uno die faciendâ, eodem modo quo Rex Franciæ processerat: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo filio, E. Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

PASTORALIS præminentia solo disponente illo qui cuncta disponit, licet immeriti, præfidentes hoc præcipue ferventer appetimus, hoc votis ardentibus affectamus ut excullam à nobis negligentia somno, circa Gregis Dominici custodiam, submovendo noxia, & agendo profutura, animas Deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia valeamus. Sane dudum, circa promotionis nostræ principium ad apicem Apostolicæ dignitatis, ad nostrum quadam levi suggestionem pervenit auditum, quod abolim de statu Sathanæ in Templariorum ordine, sparso pestiferi generis semine, subrexit ex illo melsis odibilis, fructus pestiferos ex sui natura producens, viz. quod Templarii sub religionis pallio militantes exterius, in Apostasia perfidia intus vixerunt hætenus in destabili hæretica pravitate. Cæterum, nunc attendentes quod ordo ipsorum longis retro temporibus multæ refulsit nobilitatis gratia & decoris, ac magna fidelium devotio diu viguit apud eos, quodque tunc nullam audiveramus super præmissis suspensionem, vel infamiam contra ipsos & nihilominus quod à suæ Religionis exordio portaverunt publice signum crucis corpora exponentes & bona contra inimicos fidei pro acquisitione, retentione, ac defensione Terræ Sanctæ, Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi pretioso sanguine consecrata, suggestioni prædictæ nolimus aures credulas exhibere. Verum postea auribus carissimi in Christo Filii nostri Philippi Reg. Franc. illustris insonuit, quod singuli fratres dicti Ordinis in sui professione cum ordinem ipsum ingrediuntur expressis verbis abnegant Dominum Jesum Christum, nec non idolum adorant in suis capitulis, & alia nefanda committunt quæ ob ruborem exprimendi subicimus ad præsens. Propter quod idem Rex ad requisitionem Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Regno suo generaliter à sede Apostolica deputati, de Prælatorum, Baronum, ac aliorum sapientum deliberatione solenni, Magistrum majorem, & alios singulares personas dicti Ordinis, quæ tunc erant in Regno suo, una die cum magna excogitata diligentia capi fecit, Ecclesiæ judicio præsentandas, & eorum bona mobilia & immobilia

ANNO
1307.

IV.
Ex Archiv.
Angliæ Ri-
mer Tom. 3.
pag. 30.